



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Peccatorum, vt sint occasiones fugiendæ. Cap. VI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

quicquid agis aut sustines, non pro peccatis tuis Deo offeras, sed pro eius amore atque beneplacito aut age aut sustine, optans apud eundem maiorem inuenire gratiam, qua plura maiora, acceptioraq; illi facias opera. Amor itaque Dei tibi sit causa bene viuendi, beneq; operandi scopus.

Peccatorum vt sint occasiones fugiendæ.

CAP. VI.

Nisi diligentia haud minori delinquendi occasiones fugias quam peccata, nunquam ad vitiorum peccatorumve perfectam venies curationem. Nunquam enim odisse peccatum satis conuinceris, cuius tibi occasionem non tollis. Post quemlibet igitur casum aut tentationem teipsum inuestiga, & quomodo in te intrauerit tentatio, quo modo vicerit te examina, vt expertus iam tentationis occasionem & viam, vbi es inuentus debilior, te plus solito munitas, hostibusq; pracludas accessum.

Discretio quanta sit virtus, quatenusq; eam in omnibus seruare necessarium sit.

CAP. VII.

Nulla potest virtus describi, vt ab omnibus pari possit aut debeat modo obseruari. Nulla quoq; est lex quæ propter pacem, concordiam, charitatemq; seruandam tunc instituta, quam non sæpenumero oporteat, vbi contra pacem & charitatem militat, etiam intermitteri aut moderari. Leges enim humanae & arbitrariae tunc obligant, quando sine attingunt, aut ad finem tendunt propter quem sunt instituta. Tunc enim bene seruatur lex, quando legis intentio finisq; attenditur & obseruatur, quem legislator aut voluit aut velle debuit. Quamobrem quod pro charitate aut pro virtute utilitateve alia est institutum, non recte obseruatur, si contra eandem virtutem pro qua institutum est, seruatur. In cunctis igitur discretionem habe, vt quod propter charitatem, propter virtutem aliam (quando ita videretur) facis, propter charitatem etiam (vbi necesse fuerit) paratus sis illud intermittere: quo in nulla re teipsum quaeras, sed solam Dei gloriam eiusdemq; beneplacitum. Veruntamen quamuis in his quæ arbitraria sunt hæc locum habeant, in legibus tamen & statutis Ecclesiae, in votis quoque, nolo vt tu iudex sis tibiipsum, puta vt pro arbitrato tuo ex his aliquid intermittendum mutandumve putes, aut vt iudicio tu tibiq; praescribas quando lex precepti non attigerit finem, aut quando legi subiectus ad legem obligeris nec ne: sed Praelatum tuum consule eiusq; acquiesce iudicio. Alioquin legem non discernere sed iudicare & sapius contemnere videberis. Discretio tanta est virtus, vt quicquid absq; discretionem fuerit factum, iam non virtus, sed vitium esse necesse sit. Adeo namq; discretio omni operi bono est necessaria, vt si hæc illi affuerit, laudari: si ab fuerit, eam improbari oporteat. Eam ob rem à sanctis Patribus, & mater & auriga virtutum vocata est, quæ haud immerito quoq; cunctis etiam virtutibus ab Antonio sancto etiam praelata est. Siquidem ex illa reliquæ metiuntur, ponderantur, æstimanturq; virtutes. Tuum igitur est (quia non

Leges humane quæ do obligent & quando bene obseruentur.

Discretio quomodo in omnibus seruanda sit.

Discretio quanta sit virtus, quæq; omni operi bono necessaria sit.